



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

[iii].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

Nequæ ex eo, quòd substantiæ seu formæ substantiales aliquæ imperfectiores transeunter operantes agant quandoquæ per potentias accidentales sibi superadditas V.G. ignis per calorem (quanquam talia accidentia malè dicantur potentiæ substantiarum ex eo, quòd unà cum iis influant in effectum) sequitur, idem dicendum esse de forma substantiali viventis agente immanenter. Nequæ contrarius est nobis Arist. utpote, qui nullam potètiarum vitalium mentionem facit, dum non potentias vitales, sed alias quasdam analogicè dictas potentias, ad prædicamentum qualitatis refert. Similiter aliqui SS. PP. contrarium innuere visi, censendi sunt loqui de distinctione rationis, vel certè de potentiis proximis, quæ præter entitatem animæ alia dicunt comprincipia V.G. species, habitus &c.

III. Utrum autem potentiæ quoquæ brutorum sensitivæ inter se identificentur, independet, num animæ eorum divisibiles per se ipsas totæ concurrant ad singulas operationes, an tantùm pars animæ V.G. quæ est in oculo, concurrat ad visionem, constituatquæ potentiam visivam, quod posterius si verum est,

est, jam certum est, eorum potentias distinguere inter se realiter adæquatè, sicuti ipsæ istæ partes animæ inter se distinguuntur numero, etsi ab ista parte animæ non distinguantur. Nihilominus prius videtur probabilius; etsi enim tota anima non existat in oculo, sufficienter tamen tota applicatur ad visionem elicendam per hoc, quòd partes reliquæ animæ continentur cum parte animæ existente in oculo, sicut ignis non tantum agit in passum secundum partem passu viciniorem, sed etiam secundum partes à passu remotiores: nequè etiam requiritur, ut actio vitalis recipiatur in toto suo principio, sive in omnibus partibus ejus, sed sufficit, recipi in una, cum qua reliquæ continentur.

IV. Dato jam, potentias distinguere ab anima hominis, hæc nihilominus debet immediate per suam substantiam cum iis potentiis influere in actus vitales; si enim anima immediate solum sustentando voluntatè (quam necessario sustentat, & nequit non sustentare) influat in actus vitales, habeatquè se de cætero circa illos modo mortuo, vel potest impedire aut facere, ut voluntas sibi unita peccet, vel bene agat; & jam non poterit id aliter,